

tem (1). *Obsecro ergo vos fratres... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Si ergo viventium fratrum prosunt orationes, multo magis cum Christo regnantium.

3.º Patres Syn. gen. VII. Act. 6. dixerunt: «Cum timore Dei »omnia agamus, postulantes intercessionem incontaminatae Deiparae, item sanctorum Angelorum omniumque Sanctorum.» S. Chrysostomus (2). «Preces quidem Sanctorum vim habent »maximam, sed si nos poenitentiam agamus... Mavult Deus gratiam nobis ipsis dare, quam alio pro nobis precante... Haec autem »dico, non ut Sanctis non supplicemus, sed ne simus negligentes.» S. Antonius. Ab. (3). «Profectus et emendatio nostrorum »animorum, alacritatem praebet choro Sanctorum: et utuntur prece multa coram Creatore nostro.» S. Ambrosius (4); «Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, ad praesidium dati sunt: martyres »obsecrandi; pro peccatis rogare nostris... Non erubescamus eos »intercessores infirmitatis nostrae adhibere.»

4.º In SS. Litteris, et ecclesiasticis monumentis passim legimus, Apostolos ceterosque sanctos pro aliis Deum exorare, et vicissim aliorum precibus se commendare; et Jacobus (5) ait: *Orate pro invicem ut salvemini.* Atqui Beatorum charitas erga alios est perfectior, et accessus ad Deum ut impetrent securior et propinquior: ergo multo plus censenda et pia et utilis eorum invocatio.

206. Obj. 1.º Unus est mediator Christus Jesus: ergo injuriam illi irrogamus Sanctos obsecrando.

Resp. Dist. *Antec.* Mediator primarius et per se; conc. Secundarius et per participationem; nego. Etenim quatenus sunt Christi membra, et ex ipsius meritis, efficaciam obtinent Sanctorum preces.

Obj. 2.º Ignorant Sancti quid nos petamus, et quibusnam indigeamus: ergo inutilis est eorum invocatio.

Resp. 1.º Si sagax, acutusque haereticus dignoscere potuit Sanctorum ignorantiam, multo facilius poterunt Sancti ignorantias, errata, et quamlibet nostram cognoscere indigentiam.

Resp. 2.º Sancti cum Christo regnantes nequeunt ea quae ad singulos pertinent ignorare: sed res eorum, qui animas sanctas exorant ad ipsos sane spectant. Hinc S. Gregorius M. (6): «Quia »quae intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.»

Resp. 3.º Deus potest caelestia et supernaturalia nobis in terra degentibus revelare: multo ergo facilius poterit civibus caelestibus, Summam Veritatem facie ad faciem intuentibus, quae inferiora sunt et terrena ad nos spectantia aperire.

(1) Rom. XV, 30.—(2) Homil. in Matth. 5.—(3) Epist. 4.—(4) L. de Viduis, c. 9.—(5) V, 16.—(6) Mor. L. 12, c. 19.

THESIS XXXVIII.

Honestus, piusque est Sanctorum eorumque reliquiarum cultus.

207. Nota. I.ª Pars. De cultu duliae, seu ob excellentiam aliquam creatam praestito, agitur. Excellentiam autem creatam distinguere debemus in naturalem et supernaturalem, seu civilem et religiosam.

Ex consensu omnium gentium cultus in civili societate impenditur iis, qui naturali aliqua excellunt perfectione vel ornamento; puta, principibus eorumque ministris, magnis ducibus, sapientioribus, etc. Numquid in religiosa societate non dignabuntur quoque religioso cultu illi qui in supernaturali excellent perfectione? Quemadmodum enim cultus regis ministris exhibitus in regem ipsum aliquatenus terminatur, quia illorum potestas et excellentia regiae excellentiae pars existit; ita honor Sanctis ob excellentiam supernaturalem praestitus in Dei redundat honorem, ideoque religiosus reputatur. Tamen cultum duliae Sanctis exhibitum abhorrent haeretici nulla logica, nulla ducti ratione, sed solo Ecclesiam calumniandi affectu.

Thesis est de fide. Prob. 1.º Ex professione fidei a concil. Tridentino praescripta: «Constanter teneo... Sanctos una cum Christo regnantes venerandos esse.»

2.º Josue adoravit Angelum sub forma viri (1): *cecidit prorsus in terram, et adorans, ait...* Et Christus D. testatur (2), Sanctos speciali honore ab ipso Deo honorandos: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.*

3.º S. Gregorius Nazianz. (3): «Ciprianus fere nos effugit: »o ingens damnum! idque vos passi estis, qui eum omnium maxime suspicitis, annisque honoribus ac publicis conventibus celebratis.» S. Hieronymus (4): «Honoramus autem reliquias »Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.» Et in Job (5): «Gloria meritorum suorum, magni et potentes sunt apud Deum... »Ita Sancti portant mundum, dum eum, ne ruat et pereat, orationum fortitudine sustinent.» Si ergo tantam apud Deum habent magnitudinem, aequissimum est hujusce magnitudinis praebere testimonium, seu eos colere. «Populus autem christianus memorias »Martyrum, ait Augustinus (6), religiosa solemnitate celebrat.»

(1) Jos. V, 15.—(2) Joann. XII, 26.—(3) Orat. 24 in S. Cyprian.—(4) Epist. ad Ripar. 109.—(5) Cap. IX, v. 13.—(6) L. 20, in Faust. manich. c. 21.

4.º Vere magni sunt Sancti et excellent in ordine religioso ac supernaturali, plus quam illi qui civilibus honoribus insigniuntur. Ergo sola impietas Sanctis cultum religiosum negare potest, quemadmodum sola rusticitas et extrema barbaries civilem cultum benemeritis civibus denegabit.

208. II.ª Pars est doctrina fidei; et Prob. 1.º ex Tridentino, sess. 25 (Thes. XXXVII, Prob. 1.º). Et Martinus V, in Bulla *Inter cunctos*, jubet suspectos de erroribus Wicleff, et Hus, interrogari: «Utrum credat et asserat, licitum esse Sanctorum reliquias et imagines a Christi fidelibus venerari.»

2.º Ex traditione Ecclesiae. Syn. Nicaena II, Oecum. VII. «Eos qui audent aliter sapere et docere, aut secundum scelestos haereticos ecclesiasticas traditiones spernere, vel projicere aliquid ex his, quae sunt ecclesiis deputata, sive evangelium, sive figuram crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris... si quidem episcopi aut clerici sint, deponi praecipimus; monachos autem aut laicos a communione segregari.» Cartaginense V, can. 14, praescribit nulla altaria erigenda, nisi ibidem sint aliquae martyrum reliquiae. Item thecam reliquiarum a Levitis gestandam in publicis supplicationibus, jussit conc. Braccarense IV, can. 6. Hieronymus (1) ait: «Martyrum ubique sepulcra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat etiam ore contingimus; et monumentum in quo dominus conditus est, quidam aestimant negligendum?»

3.º Ex miraculis in honorem reliquiarum a Deo patris patet acceptum esse divinae bonitati earum cultum. Nostris temporibus ejusmodi miracula passim elucet. Antiquitus autem facta quoque fuisse testantur plures PP. Vide Augustinum, ep. 54.

4.º Res illae Reliquiarum nomine significatae habitudinem habent aliquam ad Sanctorum personam: sed habitudo ad excellentiam aliquam, puta, sanctitatem, est excellens, seu de eadem participat excellentia: ergo et Reliquiae de sanctitate participant, adeoque talis relativa excellentia coli jure potest. *Min.* patet; talis enim est relatio, qualis terminorum ejusdem conditio. Imo et sensus confirmat communis, illustrium enim hominum quaevis, etiam parvi pretii utensilia, plurimi fiunt: amicorum res et amico tractamus affectu; dilecti parentis vel conjunctae personae munuscula, munera magna reputamus. Ergo.

Ita D. Thomas (2) ex Augustino (3). «Si paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi tanto charius est posteris quanto erga parentes est major affectus; nullo modo ipsa spernen-

(1) Ep. 46, ad Marcel. — (2) 3, Q. 25, a. 6. — (3) De civ. Dei, L. 1, c. 13.

da sunt corpora, quae utique multo familiarius atque conjunctius quam quaelibet indumenta, gestamus: haec enim ad ipsam naturam hominis pertinent.» «Ex quo patet quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quae de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, puta vestes et similia. Manifestum est autem quod sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei filios, et amicos, et nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus; et praecipue eorum corpora, quae fuerunt templa et organa Spiritus sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem.»

209. Objic. 1.º *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* (1).

Resp. sensus est, cultum patriae, seu divinam significantem excellentiam, soli Deo tribuendum: unde dicitur immediate: *Non ibitis post Deos alienos cunctarum gentium*. Ideo Augustinus, (loco cit.) ait: «Colimus martyres... At illo cultu, qui graece *λατρεία* dicitur, latine uno verbo dici non potest cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.»

Obj. 2.º Ait Apostolus (2): *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione Angelorum*. Et Laodicaenum. Conc. damnavit eos qui relicta Ecclesia, *Angelos nominabant*: prohibuit quoque *Angelos precari*, ut testatur Theodoretus Apostolum (l. c.) exponens. Eundem autem errorem plures reprehendunt Patres.

Resp. His concessis, negatur ullatenus ea thesi adversari. Et enim Simon Magus cultum idololatricum Angelorum invexit, eos creatores rerum fuisse dictitans et deos inferiores. Hinc exortae variae sectae in quibus sacrificia et alia idololatrici cultus signa cum falsis miscebantur deprecationibus; quae jure ab Apostolo, et SS. PP. damnata fuere. Cultus autem quem Sanctis et Angelis exhibemus non respicit excellentiam divinam in eis excogitatam, sed creatam: quia vero haec est supernaturalis et in honorem Dei ordinata, ad religionis spectat observantiam.

Obj. 3.º S. Hieronymus (3) de mulieribus cereos accendentibus coram reliquiis, ait: «Confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.» Ergo superstitione non caret Reliquiarum cultus.

Resp. In quo sensu loquatur S. Hieronymus patet ex contextu. In quolibet cultu, etiam divino, abusus irrepere possunt.

(1) Deuter. VI, 13. — (2) Coloss. II, 18. — (3) Contr. Vigilant. n. 7.

Ignarae mulieres, ut objiciebat Vigilantius, putabant, cereos accensos Sanctos Martyres illustrare et a tenebris tutari: hac de causa cereos adhibere non est sane secundum scientiam.

Obj. 4.^o Si contactus vel alia habitudo confert Reliquiis excellentiam aliquam, manus Judae exosculanda esset, vel asina in qua sedit Christus, sed absurde id aliquis faceret. Ergo.

Resp. Nego paritatem et *consequentiam*. Etenim bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu, ut fert axioma. Honestum sane est amicum salutare, uxorem ducere; etc., nec tamen in omnibus circumstantiis amicum salutabis, neque quacumque facta hypothese licebit uxorem ducere. Verbo: ut reliquiis cultum impendas religiosum, oportet ut nulla insit habitudo quam omnimoda non comitetur decencia. Qua de causa Tridentina Synod. sess. 25, praescripsit: «Statuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo; qui simul atque de iis aliquid compertum haberit, adhibitis in consilium theologis, et aliis piis viris, ea faciat quae veritati et pietati consentanea judicaverit.»

THESIS XXXIX.

B. V. Maria est adoranda, non quidem cultu latriae sed hyperduliae; ejus sponsus S. Joseph cultu summae duliae adorandus.

210. I.^a Pars. Prob. 1.^o Patet ex prima parte Thes. praec. Nam inter Sanctos omnes Maria V. sanctitate excellit: ergo.

2.^o Tridentinum Sess. 25, definit: «Imagines... Christi, Dei-parae Virginis et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas eisque debitum honorem et venerationem impertiendam... quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quae illae representant.»

211. II.^a Pars. Prob. 1.^o SS. Epiphanius et Damascenus inter haereticos adnumerant eos, qui B. Virginem ut divinitatem colebant. S. Ambrosius (1) dicit carnem Christi adorandam, Spiritum S. quoque; adjicit autem: «Ac ne quis hoc derivet ad Mariam Virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus qui operabatur in templo.»

2.^o Ratio est, quia B. V. Maria est pura creatura: cultus ergo latriae non est ei tribuendus.

(1) L. 3. De Spir. Sancto, c. 11.

212. III.^a Pars. Prob. 1.^o Maria V. inter omnes immenso intervallo excellit Sanctos in gratiae et gloriae muneribus. Ergo et superiori cultu, qui Hyperdulia dicitur, est colenda.

2.^o Dignitas Genitricis Dei B. Virginem summe Deo conjunctam et supernaturaliter propinquam constituit, ita ut ordinem illum divinum hypostaticae Unionis proxime attingat. Sed ejusmodi excellentia major est quam alia quaelibet summorum Sanctorum atque Angelorum: ergo.

3.^o Summam Mariae excellentiam edocuerunt Patres. Nam S. Ambrosius (1): «Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam Splendor elegit?» Et alibi (2): «Et quae esset cui majus quam Matri Dominus meritum reponeret, praemium reservaret?» Quam autem debeamus adhibere regulam ut Mariae dignoscamus celsitudinem, ipse docet (3): «Nec Maria minor quam Matrem Christi decebat.» In nullo igitur perfectionis et honoris genere debet minor haberi Maria quam meta illa summa et infinita divinae Maternitatis ferat: haec excellentia, praeter Christi sacram humanitatem, omnem aliam rem creatam longe superat. S. Joan. Damascenus (4): «Omnes simul occurramus senes et adolescentes... ad honorandam dominam nostram ac nostrae naturae reginam... Altitudinem sanctitatis ejus honorantes dicamus: O gloria filiarum, matrum decus! O miraculum quo Prophetiae perculsi sunt, et cujus gloria Angelos sanctos superat! Propitia sis servorum tuorum, qui auxilium tuum implorant... O tu Maria, cujus non repellitur intercessio, quae simplici Divinitati proxima es, quae altitudine cherubicis turmis sublimior es, et simplicibus agminibus excelsior, per te auxilium ad bona opera consequamur, liberemurque ab actibus sceleratis... per Jesum Christum, qui causa est opulentiae nostrae...»

213. IV.^a Pars. Post B. V. Mariam S. Joseph omnes alios sanctos dignitate et sanctitate superat. Sed cultus Sanctis exhibitus debet respondere eorum dignitati et sanctitati. Ergo S. Josepho, qui alios sanctos dignitate et sanctitate antecellit debitus erit cultus summae duliae.

Maj. De excellentiore dignitate prob. S. Joseph fuit electus a Deo ut esset: a) Verus maritus B. Virginis, quae dicitur ejus *conjux* et ipse vocatur *vir* Mariae (5); et revera nisi fuisset verus maritus, vero matrimonio intercedente non obtineretur finis desponsationis B. Mariae, qui erat honorem Christi D. ejusque B. Matris tueri (6).

(1) De Virginib. L. 2, c. 2.—(2) De institut. virg. c. 7.—(3) Epist. 63, clas. 1, n. 110.—(4) Homil. in Annunt. B. V. M.—(5) Matth. I, 16, 19; Luc. II, 5.—(6) Vid. Vol. III, Disq. VIII, n. 45.

b) Non solo nomine, sed vero aliquo sensu *matrimonialis*, ait Alapide, Pater Christi. B. Virgo familiariter loquens cum Jesu ac proinde juxta existimationem suam non vulgi dixit (1): *Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* S. Augustinus Jesum fuisse filium S. Josephi plusquam putative ita propugnat (2): «Si remoto illo (S. Josepho) illam (B. Virginem) constituamus, dicit ille et recte dicit: Quare me separastis?... An dicitur ei: Quia non tu genuisti opere carnis tuae? Sed respondebit: Numquid et illa opere carnis suae peperit? Quod Spiritus S. operatus est, utrisque operatus est. *Cum esset*, inquit, *homo justus.* Justus ergo vir, justa femina: Spiritus S. in amborum justitia requiescens ambobus filium dedit. Sed in eo sexu, quem parere decebat, operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur. Itaque ambobus dicit angelus, ut puero nomen imponant, ubi parentum declaratur auctoritas... Ergo pater. Quare pater? Quia tanto firmiter pater, quanto castius pater.» Urget legibus juris Suarius (3): «Per verum... matrimonium cum Virgine contractum, (Joseph) quodammodo corporis ejus dominus effectus est, quia *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir* (4). Hinc ergo factum est, ut fructus corporis virginei quodammodo ad Josephum pertinuerit. Ut enim in jure Romano (5) dicitur, *quod in alieno solo nascitur vel aedificatur, sub illius dominium cadit, cujus est solum.* Ut etiam, si miraculose in horto alicujus fons nasceretur, illius esset, cujus est hortus. Quia ergo terra virginea de benedictione Domini concepit, ad Joseph, cujus erat terra, fructus illius benedictionis pertinuit, ut (6) in benedictionibus Patriarchae Joseph praefiguratum erat. Adde tandem, virum et uxorem per matrimonii vinculum effici quodammodo unum. Nam licet per carnalem copulam efficiantur una caro, tamen per vinculum ipsum efficiuntur unum cor, una voluntas. Unde fit, ut bona habeant quodammodo communia, ita ut, quod est sub unius dominio et potestate, ad alterum ex consequenti aliquo modo pertineat. Quia ergo B. Virgo vera fuit Mater Christi, non potuit Joseph verus ejus sponsus rationem parentis non participare, carnali semper generatione excepta.»

Atqui dignitatibus istis nulla post dignitatem B. Virginis est et intelligitur major. Ergo... *Min.* constat tum ratione, quia nulla alia, nec apostolica, ut arguit Suarius (7), attingit, ut istae, nempe esse jure aliquo Patrem Christi, verum sponsum Matris Dei, ordinem unionis hypostaticae, qui ex se ordinem gratiae etiam in

(1) Luc. II, 48.—(2) Serm. 51, c. XX, n. 30.—(3) De Myst. vitae Christi, D. 8, sect. 1, n. 4.—(4) I Cor. 7, 4.—(5) Institut. de Rerum divisione, § Cum in suo, versiculo Ex diverso.—(6) Deuter. XXXIII, 16.—(7) L. c. D. VIII, sect. I, n. 10.

supremo gradu superat; cum auctoritate Leonis XIII (1): «Cur beatus Josephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de ejus tutela patrocinioque pollicetur, causae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Jesu Christi. Hinc omnis ejus dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri majus queat. Sed tamen, quia intercessit Josepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim conjugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adjunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Josephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis ejus ipso conjugali foedere participem. Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Josepho modeste subesset, dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est.»

Maj. principalis de eminentiore sanctitate deducitur: a) Ex ejus dignitate, nam juxta D. Thomae principium (2): «illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniatur idonei, secundum illud (3): *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.*» Ex quo principio deducit Alapide (4) consentiens Suarezio, quem citat: Ministerium et officium Joseph fuit nobilissimum, quia attigit ordinem unionis hypostaticae Verbi cum carne nostra, uti et maternitas B. Virginis, Joseph enim omnes suos labores et actiones proxime circa Christi personam exercebat. Hinc Christum aluit, fovit, custodivit, ac eum in arte fabrilis secum exercenda direxit, ut habet communis Doctorum sententia... Joseph fuit eximiae sanctitatis, ac eximiis naturae et gratiae dotibus a Deo instructus; adeoque illo saeculo non fuit vir sanctior aut dignior, cui Mater Dei desponsaretur. Unde Franciscus Suarez probabiliter opinatur, Josephum in gratia et gloria antecellere Apostolos et Joan-

(1) Encycl. De patrocin. S. Josephi.—(2) 3, Q. 27, a. 4.—(3) II Cor. III, 6.—(4) In I Matth.

»nem Baptismam, quia ejus officium illorum officio praecelebat; »plus enim est esse Patrem et Rectorem Christi, quam praeconem »et Praecursorem fuisse.»

b) Ex majori propinquitate et frequenti cum Jesu et Maria consuetudine; nam Christi «frequenti conversatione et continua praesentia, ad frequentissimos, et ferventissimos charitatis actus excitabatur; tum etiam quia verbis, et exemplis Christi plurimum moveri poterat. Nec dubitare licet, quin ab eodem fuerit toto illo tempore singulariter praeventus, et adjutus. Nam si Christus ipse promisit eum, qui propter nomen ipsius dederit potum aquae frigidae, non perditurum mercedem suam, quomodo dubitari potest, quin tot charitatis opera, non modo in nomine suo, sed etiam sibi ipsi a Josepho facta, absque compensatione abire non permiserit? »Accedit, verisimile esse, Beatissimam Virginem eximiae gratiae dona, et auxilia, sponso suo, quem singulariter diligebat, exoptasse, suisque orationibus impetrasse. Nam si verum est (ut revera est) unum ex efficacissimis mediis ad obtinenda a Deo gratiae dona, esse devotionem erga Virginem, ejusque intercessionem, qui credi potest, Sanctissimum Joseph Virgini dilectissimum, ac devotissimum, per illam non obtinuisse eximiam sanctitatis perfectionem (1)?»

Breviter cum Alapide (l. c.): «Christus proprie pertinebat ad familiam Josephi; pertinebat enim ad familiam matris, mater autem ad familiam Josephi mariti sui. Una ergo in terris dignissima, imo caelestis et divina erat familia, in qua paterfamilias ideoque praeses et rector erat Joseph, materfamilias B. Virgo, filius vero Christus. In hac igitur erant tres summae et excellentissimae totius orbis personae, prima Christus, utpote Deus et homo, secunda Virgo Deipara Christo conjunctissima, quasi mater naturalis; tertia Joseph, quasi pater Christi matrimonialis. »Hac de causa Christo debetur cultus adorationis et latriae, B. Virgini hyperduliae, Josepho summae duliae.»

214. Obj. 1.^o Crux, clavi, etc., cultu latriae adorantur: ergo et B. Virgo adorari debet.

Resp. Dist. *antec.* Cultu relativo adorantur; conc. Absoluto; neg. Inst. Ergo et B. V. Maria cultu latriae relativo potest coli.

Resp. Dist. *conseq.* per se et absolute loquendo, conc. Per accidens, et omnibus perpensis circumstantiis; neg. Nam in rebus illis materialibus non est periculum ut in absolutum cultus relativus declinet, cum nihil prae se ferant dignitatis intrinsecae: in

(1) Suar. De myster. vit. Christi D. 8, sect. 2.

personis, e contra, istud immineret periculum. Urget, praeterea, alia ratio: nam excellentia intrinseca B. Virginis major est quam illa extrinseca e contactu cum Christo exorta: atqui absurdum est quod si velis personam colere obliviscaris praecipuae dignitatis atque excellentiae ut aliam minorem ac relativam suspicias.

Obj. 2.^o *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista* (1). Ergo S. Joseph non antecellit omnes sanctos.

Resp. Explico *inter natos mulierum* omnes; neg. Inter plures; conc. Saltem Christus D. et purissima ejus Mater, quae via ordinaria generationis ex S. Anna nata est, certo excipiendi sunt: et verisimiliter ac pie propter hoc tantum, quod S. Joseph altissima dignitate Patris Christi et viri Mariae ad ordinem unionis hypostaticae elevetur, quasi jure naturae seu vi suae dignitatis, apparet excipiendus.

Qui sint illi plures inter quos praeminet S. Joannes non convenit inter auctores: aliqui dicunt esse prophetas ex loco parallelo S. Lucae (2): *Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est.* Haec interpretatio nihil officit dignitati Sti. Josephi. Alii auctores volunt esse sanctos Veteris Testamenti propter verba sequentia: *Qui autem minor est in regno caelorum* (i. e. in Ecclesia) *major est illo*, vel esse potest, qui in regno V. T. fuerit maximus. Huic interpretationi occurrit Suarius (3) negando S. Josephum fuisse tantum unum e sanctis V. T. nam proprie neque ad Vetus, neque ad Novum Testamentum est accensendus, sed ad auctorem et consummatorem Jesum, qui est *lapis angularis* (4) qui facit utraque unum.

Obj. 3.^o Si S. Joseph tanta inter omnes sanctos praeferat dignitate et sanctitate, cur per tot saecula fere delituit in ipsa Ecclesiae liturgia, nec ejus cultus ut cultus aliorum sanctorum v. g. Apostolorum et Martyrum fuit frequentatus?

Resp. Cum Suario (l. c.) argumentum nimis probare, nam non modo Apostolis, sed fere omnibus sanctis, quorum festa jam ante saeculum xv (in quo Sixtus iv festum S. Joseph instituit) Ecclesia celebrabat, esset S. Joseph postponendus, quod nemo prudens admittet. Retardati autem cultus fuit causa primis Ecclesiae temporibus auferre omnem occasionem existimandi B. Virginem Mariam non fuisse semper virginem: «periculosum, ajunt Bollandistae, (5) videbatur, rudibus ad fidei mysteria gentibus »eum magnopere praedicare, cujus commendatio frequens virginis »nei partus fidem posset utcumque labefactare: et ad Vetus Testam-

(1) Matth. XI, 11.—(2) VII, 28.—(3) De myster. vit. Christi D. 8, sect. 1, n. 10.—(4) I. Petri, II, 6.—(5) Die 19 Mart.